

§. II. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi Parochiae suae redditus non suppetere; alique denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, quod licet Parochi seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis redditibus destituantur et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum Dioecesis seu Parochiis obtinuerit, ut Missa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

§. III. Dum tamen diximus omnes animarum curam habentes Missae Sacrificium pro Populo sibi commissio applicare debere, non ideo statuere volumus, eosdem aut quotidie aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 23. c. 14. praecipit Episcopis curare, ut Sacerdotes diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus Missarum sacra faciant, si autem curam habuerit animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent; in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies quibus animarum Pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis comperit habeamus id, quod alias a Con-

gregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare et applicare debere, eum verò qui uberius redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri, quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum: ad quam summam pertingere debeant Ecclesiae Parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus hujusmodi decretum, tamquam plus aequo rigidum, excitatae, Nobis innotescant; idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abundè satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missae pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus Festis de Praecepto; quum praedicti Dominici alique Festi dies ii sint, in quibus juxta praecceptum Concilii Tridentini sess. 5. c. 2. et sess. 24. c. 4. quilibet animarum curae praepositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem S. Synodus statuit, ut moneat Episcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei et quibus Parochi Subditos suos in Doctrina Christiana audire debent, juxta id, quod a praedicto Concilio in citat. Cap. 4. Episcopis praecipitur, ut nempe saltem Dominicis et aliis festivis diebus Pueros in singulis Parochiis Fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et Parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent

§. IV. Et quia in nonnullis Dioecesis numerus dierum Festorum de praeecepto de Apostolica nostra auctoritate et consensu eatenus est immutatus, ut nempe in aliquibus Festis Christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis verò Populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae Sacrificium; Nos, ut obortae jam dubitationes circa onus applicationis Missae Parochialis in hujusmodi diebus Festis, penitus eliminentur, staluimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus Populus Missae interesse debet et fidelibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare et applicare teneantur.

§. V. Quia verò propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a Fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos verò, qui Ecclesia Parochiali vacante ad animarum curam exercendam sub Vicarii seu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severè nimis ageretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eidem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missae recipere: idcirco Nos tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis Missam pro

Populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad praedictos Parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc, ut etiam diebus festis hujusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, liberè et licitè possint et valeant; dummodo ad necessariam Populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

§. VI. Quod autem spectat ad Vicarios sive Oeconomos Ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio citat. ses. 24. c. 18. cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, vestrum erit, Ven. Fratres cum iis agere, qui vacantis Ecclesiae fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquot augmentum praebeatur pro onere celebrandi et applicandi Missam pro Populo diebus Festis. Quapropter pro iis locis, in quibus Ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Camerae Nostrae Apostolicae exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus ditorum locorum Collectoribus, cum quibus Episcopi Ecclesiasticae Nostrae Ditionis caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, Ecclesiarum vacantium fructus ad Camerae praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

§. VII. Ac demum quoad illos, qui tanquam Vicarii sive perpetui sive ad tempus constituti Animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicujus Ecclesiae Parochialis, ipsorum Ecclesiis seu Monasteriis, Collegiis aut Locis Piis olim unitae, quamvis a recol. mem. Praedecessore Nostro S. Pio Papa V. praefinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quae incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni 1567 distinctè statuitur; nihilominus ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo vel non integre Vicariis praedictis assignata reperitur vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi Missam pro Populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina sess. 7. cap. 7., dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum atque injunctorum operum rationem, congruam praedictis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternalibus Vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et oportunas facultates impertimur; quibuscumque appellationibus, privilegiis aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

§. VIII. Haec igitur circa Missam Parochialem statuenda et Fraternalibus Vestris denuncianda judicavimus. Indequè gradum facientes ad ea quae pertinent ad Missam Conventualem; neminem Vestrum latere putamus Sacrorum Canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis,

Cathedralibus et Collegiatis tum Horae Canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur; quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt Resolutiones ab hac Congregatione Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes Apostolica auctoritate Nostra confirmamus et approbamus, eorum executionem Nobis enixè inculcantes: ut scilicet Missa Conventualis, quae singulis diebus canitur a Clero praedictarum Ecclesiarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur, eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus.

§. IX. Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminatis, quam in aliquibus Ecclesiis ejusmodi, sive dolo malo sive per errorem inventam esse novimus: quod nempe, dum Missa Conventualis pro certo aliquo Ecclesiae Benefactore vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missae Conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos Benefactores, sed Benefactores in genere cujuslibet Ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates sive Canonicatus sive Mansionariatus sive Beneficia Choralia obtinent et Missam Conventualem suis respectivè vicibus celebrant.

§. X. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum Ecclesiis pro Benefactoribus in genere aliquae

interdum preces fiunt vel anniversaria stas diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quae a Lege Ecclesiastica multoties praescripta fuit; *nimirum Missam conventualem singulis diebus pro Benefactoribus celebrando eandemque pro illis in genere applicando.*

§. XI. Perfectò non solum prioribus Ecclesiae saeculis verum etiam temporibus haud longè a nostra aetate remotis, (quod Vos ex Historia Ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces fundentur tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri celebrantibus apponi consuevit; licet iisdem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de fecissent, sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco desere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

§. XII. Quemadmodum verò loquendo de Missa Parochiali superius dictum est, varias excusationes afferri solere

ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus festis de praecepto; ita pariter usu venit quoad applicationem quotidianam Missae Conventualis pro Benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores providè è medio sublatae fuerunt per oportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus et confirmamus.

§. XIII. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis etiam immemorabilis in propria Ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

§. XIV. Alii a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent *ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii Canonicatus aut alterius Beneficii Ecclesiastici — quod insimul cum Canonicali praebenda obtinent, vel quia praeter munus Canonici seu Beneficiati aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali seu Collegiata, quum etiam in eadem vel in alia Ecclesia Parochialem curam exercent, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro Populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eandem pro Ecclesiae Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiae Benefactoribus in genere applicent; pro aliis verò, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret applicetque.*

§. XV. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa Conventualis non

semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis aut Mansionariis, quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex Massa distributionum.

§. XVI. Alii denique obtulerunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quae, ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa Conventuali, ad nihilum ferè redactae, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus ses. 24. cap. 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Praebendarum inopiae valeat provideri. Si verò designatam a Concilio viam, ut ferè evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex Vestris relationibus rerum statu auctoritate Apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impartita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata quotidianam applicationem Missae Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

§. XVII. Non modo Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa Conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus, quarum exactissimam Fraternalitibus Vestris custodiam commendamus, praescribetur, ut certis diebus non una sed binae atque etiam aliquando tres Missae Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse; nunc expendendum superest, an earundem Ecclesiarum Ca-

pitula Jurisdictioni Vestrae respectivè subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere similiter applicent?

§. XVIII. Hujusmodi quaestio ab aliquibus ex Vobis Ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandam secundam ac tertiam Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere attentam Canonicatum et Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.

§. XIX. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probè noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit, Nos ita judicamus idque Vobis tenendum indicimus: laudandos nempe et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui verò idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; ubi verò id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque Missae Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro Defunctis Ecclesiae Benefactorum in genere non obliviscantur.

§. XX. Huic demum Epistolae nostrae finem imponentes Fraternalitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis,

ut in Ecclesiarum Vestrarum Choris praeter devotam celebrationem debitamque applicationem Missae Conventualis Horae Canonicae non praepropere sed exactè, pausa nempe interposita et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur. *Constitut. Bened. XIV. de die 19. Aug. 1744. (Bull. r. t. XVI. p. 214.)*

Liparen.

Episcopus exponit, in sua Dioecesi unam adesse paroch. ecclesiam, quae Cathedralis est. Haec parochia plures circum habet insulas inter se multo distantes et unaquaeque insula plures continet pagos, in quorum singulis unum vel duo sunt sacella, pro quibus regendis saltem quadraginta inesse debent sacerdotes, dicti Capellani vel Capellani curati, quorum officium est, concionari in festis, Sacramenta Eucharistiae, Poenitentiae, extremaeUNCTIONIS administrare, mortuos benedicere et ad sepulturam comitari. Aliqui eorum etiam baptizant, sed libri baptizatorum sicut et confirmatorum et mortuorum resident penes magistrum Capellanum vel parochum in Cathedrali, qui praest omnia et ad quem illi referunt adnotationem baptizatorum et mortuorum. Congrua vero uniuscujusque vel nulla vel minima vel ad maximum quinque oboli in diem. Populus autem alicujus pagi non vivit pane, sed herbis terrae vescitur.

Quibus se ita habentibus censent plures suae Dioeceseos theologi, solum parochum Cathedralis teneri ad applicationem missae pro populo, illos vero Capellanos nullam exercere animarum curam, tantum ministros esse coadjutores parochi, ideoque non comprehendi in litteris encyclicis s. m. Benedicti XIV.: *Cum semper oblatas, et SS. D. N. incip.: Amantissimi Redemptoris.* Et revera ab immemorabili minime missam pro populo applicant.

Nihilominus Episcopus ad suae conscientiae tranquillitatem sequentia dubia declarari supplex exoptulat, nimirum:

1) Istiusmodi Capellani an curam animarum exerceant et num teneantur missam pro populo applicare?

2) Si affirmative: perpensa egestate Dioecesis Ordinarius maximam reperiret difficultatem imo impossibilitatem inveniendi sacerdotem, qui hoc onere Sacramenta administret; quin et periculum erit relinquendi aliquas ecclesias sine sacerdote curato, ideoque exoptulat, ut in posterum numerus missarum pro populo applicandarum reducatur ad festum Nativ. D., Paschatis, Pentec. et SS. Corporis D. tantum.

3) Praeteritae omissiones, si fuerint, rogat, ut condonentur.

In posterioribus suis litteris addebat Episcopus ad clariorem rei intelligentiam:

1) Quod omnes et singulae praefatae insulae comprehenduntur sub paroecia Cathedralis, etenim in hac unus adest parochus sive magister Capellanorum, apud quem servatur liber baptizatorum, confirmatorum, matrimonialium et mortuorum atque unum constituunt territorium, unus est iudex et gubernator civilis.

2) Quod parochus applicat pro populo. S. C. C. resp. *Ad 1:* Juxta exposita negative in omnibus; *ad 2 et 3:* Provisum in primo. Die 23. Mart. 1861.

10) A Parochis Canon. Cathedr. et Colleg. (Conc. Tr. C. 1. Sess. 23; C. 5. S. 25. De Ref.)

Cf.: *Missa (Applicatio a Parochis non Canon)* decr. diei 31. Maji 1708; 11. Febr. 1731; 11. Maji 1720; 23. Mart. 1861.)

Ad dubium: An Praepositus Collegiatae s. Columbanus Terrae Blandrati sub poenis a statuto Ecclesiae comminatis teneatur per se vel per alium

omnibus diebus dominicis et tribus diebus in hebdomada celebrare, ita ut nullus dies festus remaneat sine missa parochiali vel in quibus diebus?

S. C. C. resp.: Tenetur sub poenis a jure praescriptis. Die 27. Maji 1713.

Ad dubium: An onus applicandi missam lectam paroch. pro populo spectet ad Abbatem Curatum Colleg. et Parochialis Ecclesiae Terrae Angri?

S. C. C. resp.: Spectare ad Abbatem. Die 1. et 15. Dec. 1708 ad VI.

Ad dubium: 1. An Canonici Colleg. et Paroch. s. Georgii Syracus. de tempore vacationis Praepositurae potuerint omittere celebrationem et applicationem missae paroch. pro populo? Et quatenus negative;

2. An et quomodo sint cogendi pro tempore omissionis eandem missam pro populo adimplere seu satisfacere quamprimum?

S. C. resp. *ad 1*: Negative;

ad 2: Prout de jure.

Die 15. Juni 1709.

Ad dubium: 1. An in Ecclesia Cathedrali et Paroch. Balneoregii ultra missam conv. sit celebranda et applicanda diebus festis missa paroch. a Canonici per turnum sive potius a Canonici Curatis?

2. An occurrente, quod Canonici Curati vel alii Canonici celebrant missam conv. per turnum diebus dominicis et festis de praecepto, tunc teneantur per alium celebrari facere missam paroch.?

3) An, quatenus missa paroch. sit celebranda in diebus festis a Canonici Curatis in Parochia Contradae Rhotae sufficiat celebratio et applicatio unius missae pro populo, seu potius ambo Canonici Curati ad applicationem supradictae missae teneantur?

4. An Canonici Curati Ecclesiae paroch. Contradae Civitae, ubi residere tenentur, exemptus a servitio chori teneantur per turnum cantare et applicare

in Cathedr. missam conv. et celebrare aliam missam in aurora, quae celebratur per turnum in dicta Ecclesia ab omnibus Canonici tam diebus festis quam ferial?

5. An occurrente, quod celebret per turnum missam conv. vel aliam in aurora diebus festis de praecepto, tunc teneatur per alium celebrari facere missam paroch. in Ecclesia paroch. Civitae?

S. C. resp. *ad 1*: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;

ad 2: Affirmative;

ad 3: Sufficere unam celebrationem et applicationem;

ad 4: Negative;

ad 5: Provisum in quarto.

Die 8. Juli et 19. Aug. 1713.

Priorem Ecclesiae Colleg. eundemque parochum applicare populo teneri solum diebus festis et diebus a Conc. Tr. statutis. S. C. C. die 26. Maji 1639. *Tolentina*.

Sutrina.

(Conc. Tr. C. 1. Sess. 23. De ref.)

Regebatur jamdiu ante Annum 1585 Ecclesia Parochialis S. Aegidii loci Tulphae per duos duntaxat Presbyteros Curatos, sed Communitas ejusdem loci cupiens eandem Ecclesiam in Collegiatam erigi, post eam redactam in formam elegantiore ac eidem assignata quaedam praedia pro sex Canonorum manutentione, mox d. anno, praevia auctoritate Ordinarii, exoptatam obtinuit erectionem. Inter caetera conventa in Instrumento erectionis, quod datur in Summario, illud est, quod Cura Animarum semper resideret ordine successivo penes duos Canonicos antiquiores, quodque tam ex bonis a Communitate assignatis quam ex aliis, quae jam possidebant praefati duo Concurati, una et communis massa

conflaretur, ex cujus redditibus una cum aliis emolumentis etiam incertis octo partes conficerentur, quarum quatuor, duobus Canonici Curatis, duae nempe singulis adjicerentur, reliquae verò quatuor inter singulos alios quatuor Canonicos pro aequali dividerentur. Insequenti subindè tempore quinque alii Canonici eidem Collegiatae fuerunt adjuncti atque à Capitulo cum eisdem honoribus et oneribus acceptati. Cum autem modernus Episcopus in Visitatione Dioecesis peracta de Anno 1704 comperisset tam Curatos quam Canonicos dictae Collegiatae nunquam satisfacisse applicationi Missae Parochialis pro Populo, eandem decrevit ab omnibus Capitularibus celebrandam et applicandam cunctis diebus Dominicis et festis, sed comperta pariter praedicti Decreti inobservantia in alia Visitatione Anni 1706, poenam suspensionis contra inobedientes inflixit. Ab hujusmodi Decreto gravati Canonici recurrerunt ad S. C. sub eo signanter motivo, quod onus Missae applicandi pro Populo insit duntaxat Canonici Curatis, qui duplicem habent reddituum portionem.

Episcopus desuper requisitus informare supradicta confirmat, atque fundamentum sui Decreti devinciendi omnes Canonicos in eo situm esse asseverat, quod in erectione Collegiatae Praebendae sunt communes Curatis cum Canonici, quorum singuli habent futuram successionem ad Curam animarum in defectum Canonici antiquioris. Sic igitur monito Procuratore Canonorum, dignentur EE. VV. resolvere haec bina dubia concordata:

1. An onus Missae, quae singulis diebus festis in Ecclesiis Parochialibus debet ex dispositione Juris pro Populo celebrari et applicari, integrè spectet respectu Ecclesiae Collegiatae S. Aegidii ad duos Curatos dictae Ecclesiae, sive potius proportiona-

biliter spectet ad d. Curatos, quam ad alios Canonicos dictae Collegiatae?

II. An et contra quos poena suspensionis ipso facto incurrenda comminata per Episcopum Sutrinum ob non celebrationem d. Missae Parochialis sustineatur in casu etc.?

S. C. C. resp. *ad 1*: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam; *ad 2*: Sustineri quoad Canonicos Curatos deleta clausula: „ipso facto“ et amplius. Die 15. Dec. 1708 et 12. Jan. 1709.

11) XV Auxiliat.

Vd.: *Missae prohibita; Missae Gregoriana.*

Sub prohibitionem missae XV Auxiliatorum comprehendatur etiam prohibitio Oratio ipsorum peculiaris in honorem dictorum Auxiliatorum quotidie recitari solita a Capuccinis civitatis Passav. n. 796 die 10. Febr. 1629.

12) De B. V. Mariae.

Vd.: *Missae vot. B. V. M.; Off. B. V. M. de Bethlehem.*

13) In bened. Monialium.

Vd.: *Benedictio Monial. (missa.)*

14) Cantata.

Ad dubium: an missa quotid. cantanda debuerit et debeat cantari cum assistentia Diaconi et Subd. vel solius Acolythy? S. C. C. resp.: Satisfieri voluntati Testatorum cantando missas etiam sine assistentia Diaconi et Subd. Die 29. Jan. 1684.

15) In Capella.

Vd.: *Capella.*

16) De Carmelo.

Vd.: *Festum B. M. de Monte Carmelo; Missa de Rosario.*

Missæ Rosarii et de Carmelo non sunt vigore Decreti permissæ omnibus Regularibus, sed Missa de Carmelo *Carmelitanis tantum* et non aliis fuit approbata vel permissa. n. 772 ad 12 die 28. Oct. 1628; n. 892 ad 1 die 13. Jan. 1631.

17) Celebrandi modus.

Vd.: *Missa: Celebrans utrum debeat sedere? Fistula; Ritus; Missa (ritus); De properantia celebrandi, vd.: Habitus clericor. (§. 9.)*

18) Celebrans.

a) Utrum debeat sedere?

EPISTOLA

Sanctissimi Domini Nostri
BENEDICTI PAPAE XIV.

ad Reverendissimum Dominum Ignatium Realem
Primum Pontificiarum Caeremoniarum
Magistrum
de

Celebratione Missæ a Sedente.

Dilecto Filio Magistro Reali Apostolicarum Caeremoniarum Praefecto. Benedictus Papa XIV.

Dilecte Fili Salutem et Apostolicam Benedictionem.

I. Aestas anni 1756 proxime praeteriti variis corporis afflictationibus Nos oppressit, quas aetas nostra gravis admodum atque non intermissi a prima juventute labores progignere videbantur. Morbi initium, prout fieri assolet, leviolem vim exerebat, hinc a Nobis ipsis Episcopatus Ordine insigniendum esse reputavimus Reverendissimum Dominum Carolum Camucium Justinopolis sive Aegidae Antistitem, cui rei perficiendae Tu utpote primus Caeremoniarum Magister opportuna quaeque disposuisti et de qua Nos die 20. Octobris 1756 epistolam dedimus ad Praesulem ordinandum,

quam typis impressam quartus Bullarii nostri tomus propediem lucem publicam visurus numero LXIII. exhibebit.

II. Malum, quod in suo exortu levius videbatur, progressu suo exasperatum est haud mediocriter; insequentibus quippe mensibus bis morientium vaticano muniti, bis extremum inuncti et bis pariter juxta Romanorum Pontificum probatum morem fidem sumus professi. E gravissimis hisce discriminibus erutos Domini benignitas in eam nos constituit corporis habitudinem, qualis nunc est, quaeque intelligentiae facultatem adeo Nobis non eripuit minuitve, ut Divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam: Exteris non minus, quam publicarum rerum curam gerentibus nos alloquendi facultatem concedimus, opportuna mandata singulis imponentes: Intersumus Confessui, quem Consistorium dicunt et S. Officii congregationi semel in hebdomade sub nostro obtutu haberi solitae: Scriptorum calamus pro exigentia et more quae occurrunt necessaria excipit; Basilicas quoque Romanae Urbis invisimus quandoque, nusquam tamen e sede gestatoria, qua sustinemur, descendentes.

III. Dies erat 28. Octobris Divis Simoni et Judae Apostolis sacra et Justinopolitani Antistitis consecratione celebrata, ex qua Sacris amplius operati non sumus, pedibus nulla ratione Nos sustinere valentibus; diebus vero, quibus alioqui Sacra facere consueveramus, sacram Eucharistiam recepimus sedentes aut sedentis in modum lecto incubantes, neque sub id temporis Missam a Nobis celebrari posse sperabamus, quod Medici spem Nobis fecissent mitigatae aetatis beneficio aëre omissa interea compensatum iri. Verum nihilo firmiores effecti temporis illa vicissitudine etiam annua, videbamur per reliquam vitam omnem

pedum juvamine et spe simul augusta mysteria celebrandi excidisse, jamque huic necessitati lubentes obtemperabamus. Id porro solum est reliquum, ut disquiramus, semperne Sacra Communionem simul reficiendi *aut vero Missa sit celebranda sedentibus?*

IV. Lubentes Nos huic necessitati cessisse diximus; neque enim a Deo sive vitam sive infirmitatis ablationem petivimus, Sanctissimae ejus voluntati omni cordis plenitudine et sinceritate subjecti, certi, Ipsum et animae nostrae et Ecclesiae et Sedis Apostolicae curam habiturum, concesso etiam aliquo vitae spatio. Diximus praeterea tempus adesse, quo determinandum esset pergendumne in consueta hucusque Sacrae Eucharistiae sumptione, *an vero Missa esset celebranda sedentibus?* Cum vero Salomon *Prov. cap. 3. hortetur: ne innitaris prudentiae tuae*, quae eadem verba in Decretali: *ne innitaris, de Constitutionibus* laudata sic illustrat Jansenius in Proverbia: *vetat nili suae prudentiae, quod est sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum et provisionem rerum necessariorum.*

Similiter Salazar in eundem Proverbiorum locum num. 26. cum S. Joanne Chrysostomo observat, hac lege teneri etiam senes quantacunque rerum experientia praeditos et quocunque prudentiae baculo suffultos: *Baculus, inquit Chrysostomus, senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiae vel prudentiae propriae non inniti. Nam, si qui possent certo propriis consiliis et prudentiae fidere, maxime senes et grandaevo, propter experimentum et canos. At ergo: ne prudentiae, quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectam perveneris, cum opus est baculo, ne tunc quidem tua prudentia quasi baculo utaris.* Hinc est,

quod Nos adductis in utramque partem argumentis sive pro sumenda ulterius Communionem sive pro celebranda Missa sedendo militantibus, statuimus hanc nostram lucubrationem variorum pietate et doctrina conspiciuorum virorum trutinatio committere, ut secundum illorum judicia, quae agenda sunt, constituamus. Aeneas Sylvius Piccolominus postea Pius II. in Pontificia dignitate dictus in epistola ad Martinum Mayer Moguntinensis Archiepiscopi Cancellarium data et in ipsius Commentariis Romae 1584 edita necessitatem exponit, qua Pontifex alios consulere tenetur: *Papa etsi doctus et sapiens est, non tamen tam verbo suo sapit, quam consilio assistentium et deciperetur forsitan aliquando, nisi astarent viri sapientes, qui multa noscant.* Magno Nobis documento, qui nec sapientia nec doctrina praecellimus, in negotio praesertim Nos ipsos concernente, in quo amor proprius Nos insigniter posset decipere absque aliorum prudenti consilio.

Commentatio.

Satiusne sit, Sacram Communionem recipere, more hactenus a Pontifice servato, an Missam celebrare sedendo?

V. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco, quae recipiendam porro Communionem concernunt, omissa celebratione Missæ a sedente perficienda, inde gradum facturi ad partem alteram, quae Communionis loco Missam a sedente celebrari permittit.

VI. Docet S. Thomas 2. 2. quæst. 93. art. 1. *Ad secundam: justos ante legem interiori quopiam instinctu didicisse modum Deum colendi, quem alii quoque fuerint imitati: ante Tempus Legis justis per interiorum instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur.* Per